



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Caput 6. De Indulgentijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

Queres primò: quanta pænitentia videatur esse proportionata pro uno mortali ordinario? Respondeo justam satis pænitentiam esse v. g. coronam 5. decadum, vel aliam huic æquivalentem: vel quæ adæquet unam ex parvis horis Canonicis v. g. tertiam, sextam, aut nonam, ut est communis opinio. Non debet tamen hæc quantitas pænitentiæ crescere æqualiter crescente numero peccatorum, quasi necessè foret injungere pro 10. mortalibus 10. coronas, sed hoc relinquitur determinandum judicio prudenter Confessarii.

Queres secundò: quomodò possit hæc proportio servari cum Hæretico recenter converso, vel maximo peccatore, qui totâ vitâ gravissima peccata accumularunt? Respondeo optimam esse praxim, ut illis prospiciatur de Indulgentia Plenaria, qualem plerique Missionarii Hæreticis primò conversis ex privilegio possunt elargiri. Secundò, in partem pœnitentiæ injungendo illis opera aliâs præcepta v. g. sacra quæ audire tenentur diebus Dominicis & Festis, ac quædam jejunia quæ in Ecclesia occurunt: hæc enim aliquando in pœnitentiam posse injungi docet Shar. Vasq. &c. 4. alii cum Laym. l. 5. t. 6. cap. 15.

C A P U T VI.

De Indulgentiis.

Queres **I**ndulgentia est remissio pœnæ temporalis extra Sacramentum per applicationem satisfactio-nis Christi & Sanctorum. Alia est plenaria, alia partialis tantum, ut est unius anni, carena, aut quadragena. Dura autem conceditur in-dulgen-

288 Pars 3. tract. 3. cap. 6. De Indulgencij.
dulgentia v.g. unius anni, aut septem annorum,
sensus est, tantam remitti poenam peccatorum,
quanta deleretur per poenitentiam unius aut
septem annorum secundum Canones pro pecca-
tis olim imponi solitam, v. g. per jejunium pro

certo tempore in pane & aqua.
Pro fundamento sequentium resolutionum:
Quæritur primò, in quo sita sit vis Indulgenciarum:
Secundò, quis habeat potestatem eas
concedendi, & quid ad earum valorem, & fru-
ctum requiratur &c.

1. Dico primò: Exstat in Ecclesia Thesaurus
infinitus satisfactionum ex passionibus Christi &
Sanctorum, qui potest per Indulgencias fidelibus
applicari. Probatur ex Clem. VI. Extravag.
Vnigenitus, ubi id disertè declaratur. Ratio hujus
petitur ex infinito pretio & valore Passionis
Christi quæ nunquam potest exhaustiri, ergo
semper restat nova satisfactio quæ possit per In-
dulgencias Christi nomine concessas in homines
dispensari.

Dices, Si Passio Christi infiniti valoris possit
ad Indulgencias per se sufficere, ergo irrogatur
illi injuria addendo satisfactiones Sanctorum.

Respondeo, volenti non fieri injuriam,
Christo autem gloriosum est passiones superflua
Martyrum aliorumque Sanctorum suâ causâ to-
leratas ad poenæ remissionem aliis prodeesse, cum
etiam illæ ex virtute Passionis Christi suum va-
lorem derivent.

2. Dico secundò, Habet Ecclesia Christi po-
testatem ex Thesauro Indulgencias fidelibus
elargiendi ad tollendum reatum, non culpæ, sed
poenæ temporalis.

Probatur hæc potestas ex promissione gene-
rali Christi Matth. 16. v. 19. *Quodcumque solueris*
super

super terram , erit solutum & in celis. Atqui unum ex vinculis quæ possunt remorari hominem à consecutione gloriæ cœlestis est reatus pœnæ temporalis in hac, vel in altera vitâ persolvendæ etiam post suscepta Sacraenta, uti fusi ostendi supra in Cont.par.2.de purgatorio. Ergo Ecclesia potest per Indulgencias illa pœnæ temporalis vincula relaxare.

Dices , Verba Christi ad summum concedunt potestatem remittendi illam pœnam viventibus super terram. Ergò Ecclesia excedit suam potestatem concedendo Indulgencias pro defunctis in purgatorio.

Resp. neg. antecedens : ' quia illis verbis non significatur eum qui absolvitur debere esse super terram, sed tantum illum qui actu absolvit , qualis est Christi in terris Vicarius , & alij quibus ille in concedendis Indulgencias facultatem aliquam communicat.

3. Ad Indulgenciarum valorem requiritur causa rationabilis, & proportionata quantitati Indulgenciarum , juxta prudentem concedentis aestimationem, quæ peri non debet ex sola operis difficultate, sed etiam ex bonitate finis, qui per opus illud intenditur. ita Suar. Con. Fil. Bonac. D. 6. q. 1. p. 1. Ratio est , quia Pontifex hujus thesauri non est Dominus, sed Dispensator.

4. Cùm Indulgencias sint gratiæ , non expirant morte concedentis : nec ante notitiam reuocationis, ut notat sà : & si concedantur sine temporis limitatione, censenda sunt esse perpetuae.

5. Possunt moribundi plures Indulgencias plenarias ob plures titulos concessas simul lucrat, v. g. quia habent plura rosaria , vel grana , cruces &c. quibus sunt applicatae; vel titulo Religionis,

N

ligionis,

290 Pars 3. tract. 3. cap. 6. De Indulgencij.
ligionis, Confraternitatis &c. modò non requi-
rant, ut certa opera pro speciali necessitate ap-
plicantur. Idque fieri etiamsi aliquarum non re-
cordentur docet Lugo. Diana, & alijs contra Rodriq.
Trull. En.

6. Si quis sæpius reperat opera præcepta v. g.
eodem die sæpius legat Rosarium, vel visitat Ec-
clesiam, probabile est toties lucrali Indulgen-
tias concessas pro isto opere; nisi addita sit re-
strictio: quia favores sunt ampliandi, ita
Henriq. & Rodriq. sed probabilius docet Lugo, non
posse rectè præsumi illam esse concedentis vo-
luntatem.

7. Potest quis plures Indulgencias ad diversos
fines concessas, uno & eodem opere lucrari, si
opus sit æquè utile ad finem utriusque Indulgen-
tiae, nec intra idem tempus possit iterari. g.
Laym.

8. Non lucratur Indulgenciam, qui omittit
aliquid, quod secundum probabilem sententiam
non est necessarium ad eam obtainendam, si à
parte rei id quod omittitur ad valorem sit ne-
cessarium. Ratio, quia bona fides aut commu-
nis error non supplet hic defectum, aut valo-
rem. Suar. Sanch. Bonacina alijque: quamvis con-
trarium velit esse probabile Diana part. 10. tr. 11.
ref. 34.

9. Non impeditur effectus Indulgencie pri-
mò, si modicum tantum omittas v. g. ex oratio-
ne, elemosyna, aut jejunio requisito. 2. Eti-
adulgentias, uti probabiliter docet Bonac. Sales, ali-
que contra Suarez. 3. Etsi opera, quæ per solvisti
v. g. jejunium, aut sacrum fuerint aliunde ex
Ecclesie præcepto debita, uti docet Laym. Sed

in his quando potes, tutiū sequeris oppositum,
ne forte Indulgencie valor impediatur, quamvis
aliás non parvi momenti sit spem habere proba-
bilem obtinendae Indulgencie.

10. Quando conceduntur indulgentiae v.g. cen-
tum aut mille dierum, aut annorum, per hoc non
designatur totidem dies aut annos auferri ex pæ-
nis Purgatorij, sed æquivalet totidem diebus aut
annis pænitentie peragendæ ex præscripto fa-
crorum Canonum, qualis erat pænitentia 40.
dierum in pane & aqua pro eo qui perjurium
sciens admiserat, ut patet ex cap. *Quicunque* 6.
q. i. Indulgencie igitur v. g. 40. dierum tantum
tollit durationis Purgatorij quantam talis pæni-
tentia 40. dierum in pane & aqua; quanta verò
sit illa duratio nulli, nec Pontifici notum est.

11. Episcopi ex jure communii concedere pos-
sunt unius anni Indulgencias pro die anniversa-
rio Dedicationis templi, & alio tempore ob ju-
stas causas 40. dierum, possuntque hanc potesta-
tem alteri delegare.

12. Non possunt tamen pro defunctis Indul-
gentias concedere. Quia eorum potestas in hoc
restricta est ad suos subditos. C. *Quod autem de*
pænit. & remis. ita *Laym.de Indulg.c.4.*

13. Hic denique bene notandum, Authores
non paucos docere, illum qui ignorat in-
dulgenciam, nihilominus eam lucrari, si opus
pro quo concessa est exequatur. Ita Card. de
Lugo de *pæn.disp.27.n.8.* Sanctarellus, Villalobos,
Molina, Layman, Salas, quos refert & sequitur
Diana. 4.part.tract.4.resol.24. & alibi Leander à
SS. Sacramento *tom.1.tract.5. de Sacram. disp. 14.q.*
37. Quod etiam probat Moya in tomo postremo
selectarum quæstionum, *disp. 4. quest.5.2.* Quia
Pontifex annexens indulgentiam certo operi,

292 Pars 3. tract. 3. cap 6. De Indulgencijis.
non solet communiter exprimere quod intentionem tanquam conditionem requirat: nec ad remissionem pænæ per se necessaria est notitia & acceptatio, ut patet, inquit, ex indulgentia Cruciatæ pro articulo mortis, & in animabus Purgatorij, quibus Indulgencia applicatur sine earum notitia. Sed quamvis hęc illorum doctrina possit esse incitamento ut bona opera frequenter exerceantur, non potest tamen de Indulgencia reddere securum si alia sit mens concedentis: probabilitas sententiae non potest indulgentiae valorem supplere.

Quæres, An Indulgencie datæ alicui Templo expirant, si fabrica sit diruta: aut si templo ab Hæreticis occupato aliud Sacellum sub eodem titulo alibi erigatur, vel assumatur?

Respondeo ad primum, Indulgencias non exiprare, si in loco fabricæ dirutæ aliud templum ædificetur. Quia moraliter censetur eadem Ecclesia, ira Suar. Bonac. Laym. hic l. 5. tr. 7. c. 3. n. 5. Quod si templo Superioris autoritate destructo, alio loco novum ædificetur sub eodem titulo ac patrono, probabile etiam est Indulgencias pariter cum templo alio transferri, nisi præcisè ratione loci Indulgencie ab initio concessæ fuissent, ita Suar. Bonac. Laym. supra, S. Antonius 1. p. tit. 19. c. 1. apud Dicastilium de purg. num. 118.

Respondeo ad secundum, quando loco templo ab Hæreticis occupati Sacellum alibi sub eodem titulo assumitur, probabile esse Indulgencias templo concessas in Sacello perseverare. Eadem enim videtur esse ratio de Sacello vicarii assumpto, & templo alibi ædificato. Quia tamen res hęc dependet ab eo, an intentio Pontificis fuerit Indulgencias illas uni loco alligare, vel etiam ad alium locum extendere, conful-

De Iubilæo.

Quæ de Jubilæo dubia sunt breviter resolvam juxta probabiliorē Theologorum sententiam. Habet autem Jubilæum, ultra quamlibet Indulgentiam Plenariam, annexas multas facultates quoad absolutionem à Censuris, casibus reservatis, commutandi vota, item effectum certiore, ob causam magis universalem, longiorem durationem ad duas saltem septimanas &c.

Probabilius videtur idem Jubilæum posse bis obtineri, si quis opera præscripta bis perficiat, ut semel in prima, & semel in secunda septimana qua durat Jubilæum, ut docet Lezana, Reginaldus, Diana, & novissimè Gobat de Jubilæo cap. 15. contra Card. Lugo & Layman.

Non potest aliquis autoritate propriâ unum ex operibus pro Jubilæo præscriptis commutare in aliud aperte melius: id potest Confessarius tantum quando adest impedimentum impotentiae ut carcer, morbus, iter, navigatio &c: nam Bullæ communiter dicunt, *Qui nequeunt.*

Quæstio singularis est: Quando aliquis neglexit omnia opera pro Jubilæo præscripta primâ, & secundâ hebdomadâ, sed tandem ipso ultimo die novâ pietate & pœnitudine ductus accedit ad Confessionem & Communionem pro lucrando Jubilæo; an possit tunc Confessarius omnia opera quorum jam tempus effluxit v. g. jejunia commutare in alias pias actiones, cumque reddere partipem Jubilæi & omnium eod pertinientium. Respondeo probabile esse id posse fieri,

294 *Part. 3. tract. 3. cap. 6. De Iubilæo.*
fieri, ut docet Filiuci tract. 8. n. 268. Sancta-
rellus c. 7. dub. 1. Diana part. 5. tr. 12. resol. 26. &
post illos Gobat tr. 3. cap. 17. quia ille sic consti-
tutus habet veram impotentiam intra illud tem-
pus opera præscripta peragendi.

Hinc etiam probabiliter resolues, pro eo qui
omnibus peractis, ultimâ Dominicâ Jubilæi non
potest communicare, quia manè inadvertenter
soluit jejunium naturale, posse per confessarium
communionem in aliud opus commutari: quam-
vis id neget Lugo hic num. 119.

Jejunium quod pro tribus diebus requiritur
ad Jubilæum, debet observari intra eandem sep-
timanam, sic ut probabilius sit non sufficere
primâ septimanâ femei, & secundâ bis jejunare:
imo nec intra eandem septimanam v. g. pro die
Mercurij jejunare die Jovis sine necessitate &
auctoritate Confessarij. Nam Bullæ expressis
verbis requirunt Feriam quartam, sextam, & Sab-
bathum alterius ex duabus hebdomadis. Contrariam
opinonem quam tenet Bonacina, Nałdus, Pa-
laus apud Dianam. vocat falsam Lugo hic disp.
12. num. 205.

Qui nullam potest dare eleemosynam, non te-
netur ejus loco aliud peragere. Sufficit eleemosyna
etiam valde modica, juxta Bullas recentio-
res, quæ sic habent, *Qui eleemosynas pro arbitrio*
suo fecerint. Qui exercet gratis aliquid opus mi-
sericordiae corporalis, ut visitare & solari aegre-
aut captivos, videtur satisfacere conditioni ele-
mosynæ erogandæ: nam illa opera esse propriæ
eleemosynam docet S. Thomas 2. 2. quæst. 32.
art. 3. Videtur etiam perinde esse quo tempore
intra duas septimanas detur eleemosyna; &
*quamvis plerumque in Bulla Jubilæi eleemosy-
na ponatur ultimo loco, ille ordo non est curan-*
dus,

dus, ut docet hic Gobat cap. 30. in fine.

Per Bullas Jubilæi ordinarias, primò, datur facultas eligendi quemlibet Confessarium: sed debet is esse approbatus ab Ordinario loci: & liber à Censura Ecclesiastica. 2. Tali Confessario datur potestas absoluendi à quibuscunque censuris: sed tantum pro fato interno. Et hæc absolutio probabiliter potest dari à Sacerdote approbato cui non confiteris. Potest etiam conferri post clapsum tempus Jubilæi, quando intra Jubileum alia opera perfecisti, sed ex obliuione, vel ex justa causa eo tempore non petijisti obfuscationem à censuris: vel quando ipsa absolutio ex justa causa debuit differri. Et idem valet de absolutione à casu reservato post tempus Jubilæi clapsum. Ita Filiuci, Palaus, Card. Lugo de Pænit. disp. 20. num. 99.

Tertiò, datur facultas absoluendi à Casibus Reservatis, etiam in Bulla Cœnæ: nec excipitur hæresis nisi id exprimatur. Quartò, potestas commutandi omnia vota in alia pia opera, votis Castitatis, & Religionis duntaxat exceptis; sic enim verba Bullæ sonare solent. Non præbent tamen potestatem in votis dispensandi. Nec commutandi vota in præjudicium alicujus tertij, quando jam sunt acceptata, Suarez, aliquæ. Per votum castitatis supra exceptum, intelliguntur votum absolutum castitatis perpetuæ & perfectæ, juxta ea quæ dixi supra p. 3. tract. 1. in fine de facultatibus ordinarijs quorundam Regularium.

Qui omisit lucrari Jubilæum in sua diæcesi aut patria durante tempore in ea constituto, potest illud lucrari alio loco, in quo tempus prescriptum nondum effluxit: imo probabiliter in sua Patria, si ante ignoravit Jubilæum ibi publicatum.

296 *Pars 3. tract. 3. cap. 6. De Jubileo.*
blicatum fuisse, uti tradit cum alijs Diana part.
3. tr. 4. resol. 151.

Quando durante Romæ Jubileo Anni Sancti singulis 25. annis, suspendi solent extra Urbem aliae Indulgentiæ Plenariæ, non intelligitur illa suspensio de constitutis in mortis articulo quo minus possint lucrari alias Indulgentias plenarias : ita contra Layman & alios, docet cum alijs Lezana & Bonacina ex Declaratione Urbani VIII. anno 1625. Neque suspenduntur Indulgentiæ aliae pro defunctis, etiam in Communione generali, nt docet Card. Lugo aliquæ. Neque Indulgentiæ concessæ particularibus personis v. g. personæ Regis, aut alicujus Reliosi, ut habet Sanchez, Fillius, Diana, Bonacina & Lugo adducens declarationem Urbani VIII. Neque concessæ ab Episcopo, aut alio quam à Pontifice, Sanchez, Diana, Bonacina, Lugo disp. 20. sect. 8. Neque cessant aliae Indulgentiæ non plenariae, ut docet Navarrus apud Zerolam, pro qua sententia refert Pellizarius declarationem Urbani VIII. Quia, inquirent, etsi postremæ Bullæ dicant, *Durante Jubileo omnes & singulas indulgentias suspendimus*, alij ramen Pontifices ante Clementem VIII. addiderunt, *plenarias, & sequentes dicunt se procedere, exemplo Prædecessorum.*

Propter similem causam disputatum est, an per postremum Jubileum Anni Sancti concessa fuerit potestas, aut suspensa ea quæ datur Regularibus privilegiatis, absoluendi à caibus Pontifici reservatis, *Quam quæstionem ex professo recenter tractat P. Georgius Gobat de Jubileo cap. 48.* qui omnes particulares indulgentias, earumque vim, aut revocationem, præ ceteris accuratissimè prosequitur.

C A.